



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

De Munere Concionandi, Exhortandi, Catechizandi - Continens non tantùm praecepta ad artem concionandi discendam accomodata, sed etiam Ideas & Conceptus practicos pro Concionibus in Festis B. V. & SS. Dedicacionis, Patrociniij, Novi Anni, Paschatis, Parasceves; item in Primitiis Sacerdotum,

...

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1679**

§. 6. Exemplar V. In quo tertia Pars explicatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48347](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48347)

*Epilogus.*

Sed finio tandem atque iterum, quantum possum, adhortor, ut, si vestros labores utiles vobis & aliis esse velitis prædicta tria capita studiosissimè observetis: Eum in finem, nunquam animo elabantur, assiduè in mente ac animo habete duos illos Germanici Poëtæ versiculos.

Willst wahren Seegen von Gott erhalten?  
Meins gut; thue was kanst/laß Gott walten.

Sic tandem implebitur quòd DEUS per S. Davidem Ps. 128. promissit: *Labores manuum tuarum, quia manducabis, benedictus es & benè tibi erit: uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tua; Filii tui sicut novella olivarum in circuitu matris tuae.* Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum, atque in illo unicè confidit, quam benedictionem nobis omnia concedere dignetur SS. & indivisa Trinitas, Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Amen.

## §. VI.

## Exemplar Quintum.

In quò tertia pars materiæ explicatur.

*Thema.*

Non est inventus, qui rediret, & daret gloriam DEO.  
Luc. 17.

*Scopus.*

Ostendendum, quid post laborem observandum sit.

*Syllogismus principalis.*

*Finis coronat opus iuxta commune proverbium; Ergo, qui coronari ac præmiari opus ac labores suos cupit, benè illos finire debet; Atqui hoc omnes Auditores cupiunt; Ergo omnes Auditores debent, ut benè finiant suos labores.*

## EXORDIUM.

Vidimus in alia concione, quòd DEUS in holocaustis quæ sibi offerri voluit, non tantùm requisiverit, ut in eo non esset macula & cæcitas, sed etiam, ut pedes, quæ ultima pars

Animalis est, non claudicaret; quo mandato sapienter indicavit, non tantum se in operibus nostris desiderare, ut initium eorum & medium, sed etiam ut finis se rectè habeat. Quam ob causam etiam in iisdem Animalibus petiit, ut adeps & cauda separatim offerrentur. Lev. 3 ut indicaret, quantumcunque opus per se laboriosum & pingue propter bonitatem fuerit, nisi cauda perseverantiæ & bonæ clausulæ accesserit, gratiam non fore; nam, ut rectè Eusebius hom. 5. ad Monach. ait, *spes omnes nostra in consummatione atque fine consistunt. Quid mihi prodest, si Sata viridantia herbis spem messis ostendant, & me sub ipso falcis tempore, subitâ vel aëris intemperie, vel pluviarum inundatione decipiant?* Hinc rectè S. Bernardus S. 2. in vigil. SS. Petri & Pauli ait; *Scias, Diabolum soli perseverantia invidere, quam solam novit à Domino coronari.* Quantò magis ergo Diabolus impedire nos conatur, ne benè nostros labores finiamus, tantò majorem nos adhibere diligentiam debemus, ut omnia, quæ ad bonam clausulam requiruntur, studiosè adhibeamus; quod quidem quâ ratione fieri possit, in præsentî Concione docebo. Favere, & doctrinas has non minùs necessarias, quam utiles attentis auribus, animisque excipite,

### Pars Prima.

Tria equidem etiam post labores nostros peractos pro felici coronide observanda puto. Primum est, ut gratiæ debitæ DEO per solvantur; cujus quidem capitis defectu frequenter fit, ut labores nostri minùs fructuosi sint; id quod S. Bernardus more suo sapienter advertit, dum ait, ingrati tudinem esse beneficiorum perditionem, ventum urentem, & siccantem fontem pietatis; nec aliquid in Christianis adeò displicere DEO, quemadmodum ingrati tudinem. Quod ipsum jam pridem Salomon Sapient. 16. indicaverat, dum dixit: *Ingrati spes tanquam glacies hybernalis tabescet, & disperiet tanquam aqua supervacua.* Notate hoc bene, quotquot hæcenus exiguam in laboribus vestris benedictionem fuistis experti, notate, inquam, & examine vos ipsos, an hæcenus debitas DEO pro acceptis beneficiis gratias egeritis; id si non fecisse vos reperietis, ne dubitate, quin hæc una ex potioribus causis sit negatæ benedictionis, nam, ut prudenter

S. Bernardus S. 35. super Cant. ait, cessat gratiarum discussus, ubi recursus non fuerit; nec modo nihil augere a gratio. sed, quod accepit, vertitur ei in perniciem, quod ut S. Chrysostomus super Matthæum ait, quando maiora sunt Homini-bus beneficia constituta, tanto graviora peccatoribus iudicia preparata sunt; Si enim vos, ubi advertitis, Modicum aliquem non gratias agere pro Modica elemosina quam offeritis, mox indignamini graviter, & statuitis, ne amplius deinceps illi offerre, an mirum vobis videri debet, DEUS, postquam pro tot tantisque beneficiis à se vobis collatis ingratos advertit, similes favores deinceps vobis negare decernat? Ne ergo fontem divinæ liberalitatis obstructum estote, ut monet Thomas Kemp. l. 2. c. 10. grati pro modico & eritis digni maiora accipere; nam, ut rectè Cassiodorus in Ps. 135. ait, ingiter sibi subvenire facit, cui collatum beneficium ob oculos semper assistit, & ut alius ait; invitat ad magna, qui gratanter accipit modica. Quapropter impii tres Pueros Babylonios imitamini, & cum iisdem omnes creaturas, quæ aliquo modo ad vestrum laborem cooperatae sunt, ad laudes DEO dicendos invitate, & dicite. *Benedicite omnia opera Domini Domino; laudate & super exaltate eum in Sacula. Benedicite aqua, Spiritus, bestiae, pecora, Filij hominum Domino &c. præ reliquis tamen optimam gratiarum actionem existimate, si inde occasione sumatis, liberaliores vos vicissim erga ipsum deinceps ostendendi, & mandata illius diligentius observandi; si enim S. Porphyrius, cum ad negandum DEUM verum, falsosque adorandos incitaretur à Tyranno, dixit. *Quadraginta annis servio DEO meo, & mihi unquam mali fecit, cur igitur eum nunc deseram? quanto magis vobis quibus insuper tantum boni præstitit, servire & adherere debetis? Dicite ergo cum S. Davide Ps. 115. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Vota posui Domino reddam in conspectu omnis populi, in medio turbae Iherusalem. O Domine, ego servus tuus, ego servus tuus & Filia Ancilla tua.***

### Pars Secunda.

Secundum caput, quod observare debetis post laborem

est, ut partem aliquam de fructibus acquisitis DEO, sive in templo, sive in Pauperibus offeratis, Ita enim vos ipsimet agri vestri exemplo suo docent, ut qui pro uno grano, quod in eos coniecistis, decem aut plura vobis offerunt. Hinc bene Seneca in Epist. ait: *Imitari agros fertiles oportet, qui multò plus reddunt, quàm acceperunt: quia si non dubitamus his conferre, quos speramus nobis profuturos, quales debemus esse in eos, qui iam actum profuerunt.* Cogitate ergo vobis dici à DEO quod olim Josephus Patriarcha Gen. 47. Ægyptiis dixit: *Accipite semina, & serite agros, ut fruges habere possitis. Quintam partem Regi dabitis, quatuor reliquas permitto vobis in sementem, & in cibum Familiis & Liberis vestris.* Date ergo fideliter DEO suam partem, nec timete, quòd quidquam vobis sit inde decessurum, sed plurimum potius accessurum sperate. Zelator honoris sui DEVS est, nec patietur se ab Homine in liberalitate vinci. Hinc Salomon Prov. 3. monet: *Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis frugum tuarum, & abundabunt horrea tua frumenta, & vino torcularia redundabunt.* Malè ergo sibi consulunt, qui ad eò parci erga DEVM sunt, etiam cum tam liberalem erga se experiuntur. Verè enim in talibus implebitur, quod olim Abbas Monasterij cujusdam expertus est, ut in magno speculo Exempl. dist. 6. ex. 43. refertur, qui cum Antecessorem valde liberalem, sub quo Monasterium omnibus bonis abundabat, habuisset, ipse eidem Successor electus contrahere manus cœpit, sed nihil aliud effecit, quàm ut paulatim omnes divitiæ evanescerent, & ad magnam inopiam Monasterium redigeretur. Accidit autem, ut quondam senex quidam Eremicola ad Monasterium hoc diverteret, qui, cum parè admodum tractatus fuisset, Fraterque ei inserviens Monasterij inopiam prætenderet, in hunc modum ipsum allocutus est: *Nôris, mi Frater, apud priorem Abbatem duos Fratres, quorum primus Date, & alter Dabitur vocabatur, in Monasterio vestro fuisse, & ab ijs tantam benedictionem profluxisse. Quia verò modernus vester Abbas primum Fratrem Dato è Monasterio expulit, statim etiam alter Frater, Dabitur aufugit. Reducite ergo Fratrem priorem, & statim etiam posterior redibit: Date, & Dabitur. Quà mensurâ mensi fueritis, eadem remittitur vobis.* Luc. 6. Hoc consilium & vos, Auditores, datum

vobis putate, atque adeò seminare deinceps in benedictionibus, ut in benedictionibus etiam metatis. Date liberaliter quia abundanter dabitur, *nam mensuram bonam, confertam & coactam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum.*

### Pars Tercia.

Tertium tandem caput est, ut, dum temporalem laborum vestrorum fructum colligitis, etiam spiritualement colligere studeatis, qui quidem varius esse potest. Et i. quidem si pacius, quam optabatis, agri vestri sementem reddiderint, aut alij fructus labori & spei non responderint, sic vobiscum dicuntur: Ah si tantoperè dolet mihi, dum agri isti materiales fructum speratum negant, & quidem temporalem dantur tam modici pretij: quantum dolorem aliquando conceperam sum, si agrum spiritualement Animæ meæ optatos fructus, & quidem tales, de quibus æternum vivere debuissim, non potuissim advertero, nec tamen tempus habeo damnum reparandi. Itaque præveniam periculum hujus doloris, operabor, dum dies est, antequam veniat nox, in qua nemo potest operari amplius. Pari modo si fruges vobis copiosas obtinuisse gaudetis, & hinc vosmetipsos excitare, ad merita abundantiora animæ procuranda; si enim, dum de corporali cibo vobis Familiæque bene provisum videtis, tantam lætitiã concipitis, quantum gaudebitis olim, si de cibo illo, qui non perit, sed permanet in vitam æternam, quemque Filius hominis daturus est, Christo teste, Joan. 6. vobis per totam æternitatem optimè prospectum advertetis? Cur ergo non copiosè feritis, semen bonorum operum, ex quo solo prædictis cibis olim habebitur, nam opera eorum sequuntur eos, ut Joannes Apoc. 14. per vocem cælo delapsam audivit. Denique si desiderium copiosiores fructus habendi vos incesse adverteritis, similem apud vos discursum facite. Ah si tantoperè sollicitus sum, ut meliores semper fruges pro corpore & pecoribus habeam: si nullam industriam omitto, quæ potest ad dictum finem conducere, cum tamen adhibitis etiam omnibus industrijs optatus fructus non semper respondeat; quantum conari debeo, ut fruges animæ, id est, merita & virtutes copiosius producantur, cum hoc in mea potestate, & fructus optatus, si velim, semper labori respondeat.

Age ergo, & quodcumque potest facere manus tua, juxta consilium Ecclesiasticis c. 9. *instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud Inferos, quò tu properas.* Hoc modo utiliter laborabitis: hoc modo gloriosus finis opera ac labores vestros coronabit.

*Epilogus.*

Ut ergo tandem in compendium recolligam, quæ de labore fructuosè suscipiendò tam in hac, quam prioribus Concionibus dixi, vidistis, quanta commoda ex laboribus vestris ritè susceptis sperare possitis: Vidistis etiam, quid ad laborem ritè suscipiendum requiratur, scilicet ut in nomine Domini, id est, cum gratia DEI habituali & actuali propter DEVM inchoetur: Ut in nomine Domini, id est, cum magna cautela, diligentia & animi in divinam voluntatem resignatione perficiatur: & ut denique in nomine Domini, id est, cum debita gratiarum actione, liberalitate mutua, & salutari ad seipsum reflexione finiatur. Hæc facite, & viveris, id est, in hac vita copiosam benedictionem in temporalibus bonis, & in altera majorem gloriam obtinebitis, dicensque cum Ecclesiastico c. 57. *Videte oculis vestris, quia modicum laboravi, & inveni mihi multam requiem.*

CAPUT VIII.

De Praxi Conciones pro felici auspicio sive Concionum, sive novi anni habendo.

Quoniam plerumque, quando Concionator vel officium suum auspiciaturus est, vel etiam pro novi anni principio concionaturus, paulò compriox oratio, rariòrque doctrina ab Auditoribus speretur, ideo ne in hac quoque occasione Ideam, copiamque Conceptuum deesse queratur Novitius Concionator, eosdem hoc capite breviter subjiciemus.

§. I.

Exemplar

Quomodo pro felici Concionum auspicio instituenda sit Concio.

T 5

Thema